CASSIODORUS

Südostdeutschland (?, nicht Salzburg), 2. Drittel 9. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38166
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

Lacus dicitur. cuius fundus latet. dum una fouea circumdatur includitur; Talis fuit et iste lacus iniquitatis. quem de prauitas excubauit; Aperuit quia primum incoauit. dum eum in sua damnatione perfecit; Et incidit in foueam quam fecit. In mortis scilicet locum; Conuertetur dolor eius in caput eius. et in uerticem ipsius iniquitas eius descendit. Hic caput animam debemus accipere. huic subiectas peccata quando refrenant obnoxia; uertex dictus est. quod dextro leuaque uertat capillos; Qua ratione esse diximus quia contemplatiuae animae culmen excelsum est. et quia pro merito suo punitur est. Confitebor domino secundum iustitiam eius. Hic confiteri ad laudem pertinet; secundum iustitiam eius. quoniam superbos facit sua crimina sustinere. et humiles dignatur absoluere; Et psallam nomini domini altissimi; psallere uero est et operibus domini mandata peragere. et hymno suo uoce et lingua et corde cantare; pulchre dixit altissimi. quia quantum humiliatus est diabulus. tantum exaltatus est dominus qui uiuit et regnat in saecula saeculorum amen.

EXPLICIT PS VII. INCIPIT PS VIII. IN FINEM PRO TORCULARIBUS; PS DAVID

In finem et cetera Christum significant. quem ad ipsum cantatus est psalmus. pro torcularibus; quod ecclesiae conuenit. quae de obstinatis moribus et superbia pressura paenitentiae suauissimae lacrimae exprimuntur.

Domine dominus noster quam admirabile est nomen tuum in uniuersa terra. Iteratur gaudet ecclesia quod dicit noster. quia necesse est ut eius bonis gaudeant cuius nos esse profitentur; cum dixisset quod non potest explicare quod sentit. quis enim aut creaturas terrenarum rerum. aut maris ambitum aut inanis huius aeris. aut ornamentum rerum caelestium sufficienter possit agnoscere; haec omnia ecclesia considerans proclamat. quam mirabile est nomen tuum in uniuersa terra. quia per totum mundum eius ecclesia dilatatur; Quoniam eleuata est magnificentia tua super caelos; Magnificentia est domini incarnationis arcanum. Ista ergo magnificentia super caelos omnesque creaturas eleuata est. quando surgens a mortuis sedet ad dexteram maiestatis in excelsis; Ex ore infantium